

de Coconato, & Henricum de Villalba, & fratres, & Henricum filium marchionis Ardicionis, Savilianum, Raconixium, Rubaldum de Braida, dominos, & homines de Lanerio, homines de Maxio, Marchionem Ancisæ, Henricum Montisberfarii, ac filios, dominos de Mala morte, Grossum de Canelio, Jacobum Corbellarium, Henricum Mastorchium, (1), & civitatem, & homines Alexandriae, & civitatem, & homines Vercellarum, & omnes prædictos homines, & loca excipiunt Hastenses, ut supra, salvis pactis, & conventis eorum, & specialiter salva concordia, & pactione, & societate ipsorum Hastensium, Alexandrinorum, & Vercellensium, ita ut societas, & concordia eorum stabilis, & firma semper permaneat, nec propter Sacramentum istius societatis, nec propter aliquod aliud Sacramentum infringatur, nec ullo modo removeatur.

Alexandrini vero volunt excipere, ut civitas Alexandriae non teneatur pro hac societate contra Sacramentum, seu pactum, quod fecerunt cum hominibus de Cassinis, nec contra dominum Anselmum, & Delphinum Marchiones de Bosco, nec contra Marchionem de Occimiano cives Alexandriae, nec contra Marchionem de Ancisæ, nec contra Sacramentum, seu pactum, quod fecerunt cum Marchione de Gavio, nec contra Castellanos Alicis, & Barberii, nec contra Paxilianum, nec contra aliquem civem Alexandriae, qui in civitate habitet, vel extra, nec contra homines de Bosco, nec contra homines de Urba, nec contra homines Frixonariae, Basseragutii, Capriatæ, nec contra homines de Lanerio, nec contra homines Ripaltæ.

Vercellenses autem volunt excipere dominum Episcopum Vercellensem, & societatem generalem Lombardiæ, & specialiter Alexandriae, & Hastæ, & Novariæ, & salvo Taurino, & Hiporio, atque Casale, & Paxiliano, & omnibus civibus, & habitatoribus Vercellensibus, & Vassallis illis, qui sunt in jurisdictione Vercellensi, & hoc factum est salva omni commissione, & omnibus commissionibus factis in Commune Mediolani, & in Commune Placentiæ a prædicto Marchione, & a Communi Alexandriae, a Communi Vercellarum, & Communi Hastensi de omnibus discordiis eorum, secundum quod in commissione, vel commissionibus continetur, & si quod additum, vel diminutum fuerit in hac societate, vel pro hac societate per consilium Mediolani, & per consilium Placentiæ communiter usque ad calendas januarii, id utraque pars teneatur attendere, & observare.

Eodem modo prædictæ omnes civitates inter se invicem adjuvare, & defendere teneantur, ut supra tenentur prædicto Marchioni, & prædictam societatem jurant, ut supra continetur. Prædictus marchio Montisferrati, & Gullielmus filius ejus utramque prædictam societatem, ut supra legitur, juraverunt in Mediolano. Joannes Rusca Potestas Mediolani: & pro Placentia Antonius de Fontana, & Joannis de Bonamena legati Placentiæ, & pro Alexandria Gullielmus Lanzavecchia, & Guido de Priora legati Alexandrini; & pro Hasta Magister Petrus Beccarius, & Homodeus Trosellus legati Astenses;

& pro Vercellis Gullielmus Alzatus, & Joannes de Oliva legati Vercellenses. Actum est hoc in palatio Communis Mediolani coram magno consilio collecto anno Dominicæ Incarnationis 1199. die Dominica 12. die mensis junii, indict 2. interfuere ec. reliqua ut apud Durandum.

(1) In exemplari a clarissimo Durando in Ped. Cisp. p.339. adhibito hæc adduntur; Obertum de Maritis, forte Maringo, homines de Paxiliano.

*Donatio civitatis Alexandriae XL. familiis Quargnenti.*

MCC.

105

Anno Dominicæ Incarnationis MCC., indictione tertia, die Jovis 6. exeuntis februarii in castro Quargnenti in plena concione populi ec. ibi existentibus vice Communis Alexandriae Joanne Platto consule ipsius civitatis, & Gamundio de Suffredo Ambaxiatore, cum Stefano de D. Petrobello, & ex parte Quargnenti domino Anselmo de Foro potestate ipsius loci ec. scilicet quod homines de parte Episcopi Hastensis faciunt se cives Alexandriae salvis rationibus Episcopi in suis hominibus, hoc modo quod ipsi simul cum hominibus XL familiarum, qui sunt cives Alexandrini debent facere communia onera civitatis pro æquali portione, quam facient homines Solerii, eo excepto, quod nemo de parte Episcopi cogatur, nec possit ire stare Alexandriae contra suam voluntatem, nec in hoc, quod faciunt salvis rationibus Episcopi, possint se excusare ab omnibus istis oneribus civitatis, licet Episcopus vellet eis contradicere ec. Actum in isto loco feliciter ec., & omnia ista homines Quargnenti de parte Episcopi attendere, & observare ad sancta Dei Evangelia juraverunt. Interfuerunt testes Carbonus, Anselmus Ainerius, Soldanus de Quargnento, Ubertus Nebula, & omnes homines de concione ec.

*Donatio DD. Vassallorum Meladii de suis juribus facta civitati Aquensi cum consequenti illorum investitura*

MCCI.

106

Ind.4. die martii 9. junii (1) A.D. 1201. in capitulo Canonice de Aquis Belengerio D. Andreae, Manfredi Carlevaris Oberti Primani, Gullielmo Belesii, Bonjohanne, Henrico de Porta, Bruzafava, Uberto de Burgo, Raimundo Episcopi, Oberto Rabia de Cifalvo, Petrono Dodone, & Jacobo Bucaz presentibus, & consentientibus D. Gullielmus, & Manfredus quondam Gullielmi omnes de Camera; item D. Gullielmus, & Tebaldus quondam Alberti consensu, & voluntate, & auctoritate Manfredi Guastarava, & Arnaldi Vastapaleæ curatorum jam dictorum filiorum Alberti donavit, & hanc chartam donationis tradunt D. Andreae Petrolino, Aquideo Bencii Brochæ, Nicolao Bochaz, & Ugoni Mantea consulibus nomine communis Aquensis omnes suas turre, domos, terras, & cætera jura eis competentia in curte Melagii, & cæteris locis, ut infra scriptum Commune perpetuo faciat pacem, guerram,